

his nunquam in mentem venit, quod veritas vel falsitas doctrinae possit probari ex Libris Ecclesiasticis & humanis, sed quod per has saltem investigetur, num haec vel ista sententia sit a nostra Ecclesia recepta, & a LUTHERO etiam aliquando assumpta. Quod si Arnoldus voluisset expendere, minus pronunciaffet: *Es wäre über einige Meinungen Lutheri großer Streit entstanden*, hoc enim in investiganda doctrinae falsitate ac veritate nunquam factum fuit, etsi inquirenda doctrinae hujus vel illius professione a nostra Ecclesia facta, istud saepissime necessitas flagitaverit, quod imprimis ostendunt controversiae a FLACIO de Peccato originis cum Orthodoxis excitatae. Cavillatio est Arnoldo familiaris & decantata, *haberi a nonnullis inter nos Scripta Lutheri, pro norma & regula fidei: Es hätten nicht alle Lutheri Worte vor Regeln und Glaubens-Articul annehmen wollen*. Ipse LUTHERVS hoc serio deprecatus & averfatus est. Quis igitur ex nostris Theologis tanta mentis simplicitate & stupiditate fuerit, ut ad Lutheri autoritatem, tanquam absolutam controversiarum dirimendarum normam confugerit?

§. V. Quibus rationibus theologis necessario nunc praesuppositis, II. etiam non desunt Rationes historicae, quae id demonstrant. α) *Lutherus nunquam fuit autor novae alicujus excitatae controversiae*, sed invitus saepissime ad eas ventilandas & inquirendas fuit adactus. Dimicavit, quod concedimus, cum numero pluribus ex Pontificiis adversariis, apertis Veritatis Evangelicae hostibus, cum Tetzelio, Wimpina, Silvestro Prieriate, D. Eccio, Emsero, Murnero, Cochlaeo, Ambrosio Catbarino, Latomo, & aliis, quorum singuli, ipsum primo, evulgatis in eum invectivis, disputationibus & scriptis aggressi sunt, imo cum Satanas resuscitaret hypocritas & falsos fratres, imprimis autem D. Andream Carolstadium, qui non modo εἰκονομαχίαν, & alias im-
muta-